

Em 432

108
MVSARVM FACIES
MOESTAS,

OB
PRAENOBILIS, CONSVLTISSIMI, CLARISSIMI,
AC DOCTISSIMI

EVSEBII ERNESTI
STILERI,

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS
CELEBERRIMI,
GYMNASII, QVOD HEIC ERFVRTI FLORET,
DIRECTORIS EGREGIE MERITI, NEC NON AEDIS SCHO-
LAEQVE IOHANNAEAE EPHORI, DEBITA GRA-
VITATE CONSPICVI,

PRAEMATVRVM OBITVM,

A. d. VIII. Cal. Mai.

ANNO MDCLXVIII.

LVGVBRI CARMINE DEPINGERE,

AC

PIETATEM APOLLINI SVO,

PRAESIDIQVE DEBITAM,


DEMONSTRARE VOLVERVNT,

DEBVERVNT

BEATE DEFVNCTO

CONIVNCTISSIMI

PROFESSORES GYMNASII



Quam rapidis hominum deuoluitur orbibus aetas!
Vita fugit praeceps, et senis, et iuuenis.
Quotidie mandant glebosae corpora terrae,
Quae solito citius deseruere animi.
Nonne videre licet plures luctus dare signa,
Cum sobolem caram terra tegat gelida?
Spem patriae atque decus desent materque paterque,
Nec parcat claris Atropos ingenii.
Non est in medicis nostris, releuentur ut aegri;
Nulla hortis herba est, par febris rabidis.
His oris circumfusi sumus aëre sano;
Incola vi februm rarius opprimitur.
Quas morbis causas statuis credisque subesse?
Fortuitis tribuet casibus inspiens.
Et fatum

{	stolidum	}	figmentum iure vocabis,
	Stoae		

Cum regat hunc orbem prouida cura Dei.
Solus is arbiter est sapiens vitaeque necisque;
Ipsius nutu viuimus, emorimur.
Anquiris causam? confestim consule Mosen,
Isque in Adae morsum reiiicit omne malum.
Peccati merces mors est; (sacra littera dixit;)
Ergo est communis toti hominum generi.

*Nec tutum praestat fulgens Regis diadema;
 Nec doctrina, nec ars, ingeniumque sagax.
 Ergo nec id poterit farrago diuitiarum,
 Quamuis possideas iugera multa soli.
 Nam graue quid Croesi prodest praediuitis aurum?
 Inuida vis fati sustulit e medio.
 Magnus Alexander mortemne repellere quiuit,
 Prosternens olim, quidquid in orbe fuit?
 Sanguine defectos cecidit collapsus in artus,
 Se iactans Diuum, progeniemque Iouis.
 Quid Salomon sapiens, celebrisque Dauid, pater eius?
 Hisne pepercit mors? clausit uterque oculos.
 Nec probitas potuit moriendi tollere legem;
 Rex etiam prudens regna superna petit.
 Nil homines tutos praestare a morte valebit;
 Puluis et umbra sumus, praetereaue nihil.
 Eloquar? an sileam? certe vox faucibus haeret!
 Musis attonitis nil nisi luctus inest!
 Adspice demissos plangentis more capillos!
 Ut feriunt moestae pectora nuda manus!
 Has tristes reddit Praeses, dilectus Apollo;
 STILERVS iuuenis concidit ante diem!
 Vxor foemineum clamorem ad sidera tollit;
 Haec misera exclamat: fide marite mane!
 Omnia planctu implet fraterno sanguine iunctus,
 Velatus peplo, vesteque funerea.
 Iunxerat hos fratres sinceri vinculum amoris;
 Quo rupto, luctus pectora iure replet.
 Circumstans numerus confusus discipulorum
 Pectora iam pulsat, turbidiora mari.
 Musarum currus! equites! † (sic vociferatur;) †
 Filium Ariadnaeum! duxque paterque pie!
 Irreparabilis est fidi iactura Magistris,
 Qui rudes animos artibus excoluit,
 Instillans semper morum praecepta bonorum,
 Non verbis tantum, sed pietate simul.*

† 2 Reg. II.
v. 12.

Exemplis morum doctrinam expressit et ipse;
Virtutis studio nil prius iste habuit.
Musarum merito cessant citharaeque chorique;
Nunc carmen profert flebile vox querula.
Quid nos collegae? mortem hanc qua mente feramus,
Quos instar fratrum diligere est solitus?
Optimus ab! periit socius concordiae amator!
Solamen nostrum, dulceque praesidium!
Quippe quis est nostrum, cui non succurrerit ipse
Iactato morbis, temporibusque aliis?
Doctrina praestans mortis iam factus imago;
Praeripiunt eius fata citata dies.
Dignus eras Pylis annis, STILERE beate!
Te vivum pietas ipsa, salusque cupit.
Officium nostrum Tibi adempto iure parentat,
Musaeque nostra Tuis ingemit exsequiis.
Vertitur in cineres corpus; verum igneus istis
Spiritus ad superos ignibus actus abit.
Vixisti STILERE! brevis Tibi vita cucurrit;
Pectore sed nostro vivis adhuc memori.
Nulla unquam ex animis tollent obliuia nostris
Vultum tam facilem, foedus amicitiae.
Utque Tuis sit subsidio Deus, arbiter orbis,
Nos contendemus continuis precibus.
In primis aliquid nobis hac luce petendum est,
Musas sollicitas et recreare velit.
Quam similem passae iacturam non ita pridem
Collegae suavis, tempora vix reparant.
WEISSENBORN raptus nobis in flore iuventutis,
Carminis egregii conditor adfiduus.
Praeside nunc Heliconi opus est quoque, sed vigilaci;
Dignum sufficiet provida cura Patrum.
A quibus, et pellat vim morbi ac cuncta pericla,
Oramus Numen caelipotens precibus;
Unquam ne moveat quemquam tam flebile carmen.
Conseruet vivos, terque quaterque beet.



78M 378

ULB Halle

003 076 938

3



108
MV SARVM FACIES
MOESTAS,

OB

PRAENOBILIS, CONSVLTISSIMI, CLARISSIMI,
AC DOCTISSIMI

EVSEBII ERNESTI

ILLI,

VSQVE DOCTORIS
REBERRIMI,

HEIC ERFVRTI FLORET,
MERITI, NEC NON AEDIS SCHO-
LAEAE EPHORI, DEBITA GRA-
TIAE CONSPICVI,

VRVM OBITVM,

MDCCCLXVIII. Cal. Mai.

NO CLIO CCLVIII.

ARMINE DEPINGERE,

AC

APOLLINI SVO,

SIQVE DEBITAM,

FRARE VOLVERVNT,

DEBVERVNT

DEFVNCTO

INIVNCTISSIMI

RES GYMNASII

